

## **Meditationes Logicas Ad Nonnulla, Pro Animae Simplicitate Argvmenta**

Rostochii: Typis Ioh. Iac. Adleri, [1749]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003539726>

Druck Freier  Zugang



RU phil. 14.Juni 1749  
Aepino, Ang.Joh.Dan.







Q. D. B. V.

RECTORE ACAD. MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DOMINO FRIDERICO,**

PRINCIPE HEREDITARIO MECLENBURGICO,  
VENEDORVM, SVERINI AC RACEBURGI, COMITE SVERINENSI,  
TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE  
DOMINO,



MEDITATIONES LOGICAS  
AD NONNVLLA,  
PRO ANIMAE SIMPLICITATE  
ARGVMENTA,

CONSENTIENTE  
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE,  
PRAESIDE

M. ANG. IOH. DAN. AEPINO,  
ELOQV. PROF. DVCAL. PUBL. ORD.

IN AVDITORIO MAXIMO

A. R. S. c1010CCXXXVIII d. XIV IVN. 1774. Jun

PUBLICAE DISPTATIONI SVBIIICIT

PETRVS LAURENT. ENANDER,  
GOTHOBVRGO-SVECVS.



ROSTOCHII,

Typis IOH. IAC. ADLERI, SEREN. PRINC. AVLICI, & ACAD.  
Typographi.

S. ae R. ae M. tis

MAGNAE FIDEI VIRO,  
REVERENDISSIMO IN CHRISTO  
PATRI AC DOMINO

D. IÖRAN WALLIN,

DIOECESIOS GOTHOBVRGENSIS, EPISCOPO  
MERITISSIMO,

VENERANDI CONSISTORII PRAESIDI GRAVISSIMO.

GYMNASII IBIDEM SCHOLARVM QVE

PER

VNIERSAM DIOECESIN EPHORO ACCVRATISSIMO  
MAECENATI MAXIMO

opusculum hocce

humillime offert

devotissimus cliens

PETRVS L. ENANDER.

# NOBILISSIMO RESPONDENTI

S. P. D.

## PRAESES.

**O**ptime rebus TVIS consulis, CLARISSIME ENANDER, qui in illustri Vpfaliensi & hac nostra Varniaca Academia assiduo labore comparatae solidioris eruditionis specimen hoc publicum extare voluisti. TE enim ingenuum litterarum cultorem id maxime decet, quod ad maiora TE excellentiaque natum adspirantemque, & gloriae, non vanae illius, sed virtute, sed honestate, sed eruditione partae, cupidum omnibus ficit. Gratulantur TIBI proinde, quam ex erudito hoc labore TVO laudem deferes, quotquot TE, nobilemque TVAM indolem norunt, praecipue ego, qui quanto ardore quantaque cura veritatum cognitioni naues, non sine voluptate saepius fui miratus. Atque hac, qua coepisti, via, si perrexeris, perges autem certissime, populi TVI, qui eruditionis solidioris laude dudum celebratus fuit, gloriam augebis, probabis TE Patronis atque Fautoribus, & nominis TVI famam, non sine gaudio TVORVM proferes. Et propitium Numen, praemia pietati virtutique TVAE debita, larga manu TIBI tribuet, quo ita pristino quoque corporis robori restitutus rem litterariam & Ecclesiasticam egregie ornare possis augereque. Quod ut eueniat, prouti spero, ita sincere opto, atque aliquam

mei memoriam TIBI, feliciter patriam repetenti, commendo. Scrib. Rostochii III. Id. Iunii.

A. R. S ciciöccxxxviii.



QUAM  
P R A E S I D E  
VIRO AMPLISSIMO ATQVE CELEBERRIMO,  
**M. ANGELIO IO. DAN. AEPINO,**  
ELOQV. PROFESSORE DV CALI P. O.  
NESTOREI SENIS, I. E. OCTOGENARII FORE, ET, OB IMMOR-  
TALIA PRORSVS IN REM LITERARIAM MERITA,  
IMMORTALITATIS ALBO IAM DV DVM INSCRIPTI VENERANDI  
V I R I  
DOMINI FRANCISCI ALBERTI AEPINI,  
FILIO, TANTO PARENTE DIGNISSIMO,  
DOCTISSIMVS ATQVE HONORATISSIMVS  
DOMINVS,  
**PETRVS LAVR. ENANDER,**  
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,  
PVBLICE DISPVTARET.

**G**ens ratione furens & mentem pasta chimaeris,  
Fertur ubi nigra nox habitare casa,  
Est. Ratione furens. Gens nata palustribus undis,  
Sueta cauernosos turba natare lacus.  
Huic genti densis nox incubat atra tenebris :  
Nox Pharios tanquam quae tremefecit agros,  
Ast licet aeternis nox inflet dira tenebris,  
Nullaque vel minimo sidere flamma micet ;  
Est tamen haec tanto gens conturbata furore :  
Ipsa suas tenebras ut miseranda neget.

Quin tenebras amet ipsa suas : lucemque perosa  
Vertat in obscoenae noctis opaca diem.  
Nempe suas animo furiosa superbia flammam  
Excitat, & velat lumina caeca peplo.  
Nec finit ambitio nitidos incedere soles :  
Sicque manet toto mens viduata die.  
Heu! quoties subeat gentis tam tristis imago :  
Nox animo toties ingruat atra meo.  
Nec satis est turpi iacuisse sopore solutam :  
Phoebe, tuas aliis sed negat usque faces.  
O! Medici mediam stolidis pertundite venam :  
Ne stolidis tacitus pectora cancer edat.  
Conquerar, an sileam? iustas habet ira querelas.  
Credo equidem, medica plus valet arte malum.  
Caeca per infectas serpunt contagia venas,  
Lege Machaoniae vix medicanda manus.  
Clarius ast dicam, quos culpam carmine mores :  
Quoque fauore animi TEque TVOSque canam,  
VIR Plaeclare, TVVM, praefert quod pagina, NOMEN;  
Cimmerias tenebras pellere QVique studes :  
Atque probas studio, fidus sollersque MAGISTER,  
Ingenium tenebris non latuisse TVVM.  
Non ego mordaci perstringo carmine Quemquam :  
Qui SOPHIES sequitur castra verenda NOVAE,  
Nec Qui iudicio noua dogmata ponderat aequo,  
Atque antiqua simul, quae docuere SOPHI.

*Vivite vos igitur, Pyliamque videte senectam :*  
*Non turbo Vestros, Numina Sancta, Lares,*  
*Hos tantum tango, rabidarum more ferarum :*  
*Qui cupiunt doctis bella mouere SOPHIS.*  
*Quique crepant semper coelestia dogmata solum :*  
*Nec, nisi quae dixit Theia MVSA, probant.*  
*Haec male, sub stolido, sapientia nata, cucullo,*  
*Inficit egregios, pro pudor ! arte viros.*  
*Spernit vesanos ast hos GERMANIA motus.*  
*Vis causam ? Lucem WOLFIVS Ipse dedit,*  
*Et spernunt omnes, fausto sub fidere nati.*  
*Cum ratione docent. Cum ratione probant.*  
*Norunt quippe, DEVM λογικήν iussisse λατρείαν,*  
*Nec placuisse Ipsi, qui ratione carent.*  
*Surgis, ENANDRIADE, cunctis bene culte camenis :*  
*Atque probas doctè singula quaeque satis.*  
*Gratulor inde Tibi. Pulcros Tibi gratulor ausus.*  
*Vt redeatque salus pristina rite, precor,*  
*Vt redeas Patriam, dulces visurus amicos,*  
*In primisque, precor, NESTORA, Care Tuum.*

Adfectu, quam effectu, maiori haec pauca adposuit

**IOHANNES Löhnberg,**  
Sympatriota.





## P R A E F A M E N .

**M**etaphysicum tractamus locum, eumque, nisi fallimur, grauioris momenti omnino ducendum, argumenta, quibus hodie Animae simplicitas stabiliri solet, acutiori examini submittentem. Quod dum instituimus, contra ipsam praestantem doctrinam nil quidquam mouemus, certi, quod propositio quanquam probationibus commodis sufficientibusque destituatur, veritate tamen omni haud careat, quam vel aliis rationibus nixi, vel temporum felicitate adiuti alii facili forte negotio euincere valent. Atque hoc in limine statim opellae monendum esse duximus, quo a detorsionibus nobis caueamus, impediamusque, ne sententiis oneremur a mente nostra, quam maxime alienis. Quanquam enim haud vereamur, ne opera, quam in destruendis pro simplicitate animae solitis argumentis collocauimus, consequentia minus conueniente & iniqua alii eliciant, ipsum dogma, quod ita confirmari solet, a nobis impugnari; vix tamen hoc plane non metuere permittit praeterita & vel hodie adhuc cognita quorundam consuetudo, qui nescio quae, ex aliorum sententiis effingere haud erubescunt absque incongruaque. Sciant itaque, *LECTORES*, nos in *Materialistarum*, (prouti vocantur, qui omnem animae simplicitatem negant,) nulla ratione nulloque modo ire sententiam, quam ipsam ex rationibus, quas hae non capiunt litterae, reuicimus. Inuitos ergo in nos omnino censebimus eos, qui plagulas praesentes *materialismi* vindices pronuntiabunt, vel iniqua inter-

terpretatione ( iusta namque talia non feret, ) adhibita, defensionem dogmatis, cuius indolem nouimus, & a quo abhorreamus, nobis tribuent.

Id vero iam agimus, vt circumspecta solertique cura, quantum Philosophi in confirmanda animae simplicitate profecerint, indagemus, atque num suscepti eum in finem illorum labores feliciter vbique sint progressi, experiamur. Atque ad hoc negotium praeter veri honestique constantem amorem nihil attulimus, auctoritati nihil, nihil praeiudicis, nihil infano dubitandi studio dantes. Cuncta ad rationis trutinam, quantum intellectus nostri tenuior fors id permittit, exigere studuimus, cui studio, si ex parte saltem satisfecisse aliis videbimur, non male collocatam operam nostram censebimus.

Non vero aegre ferent, *LECTORES*, quod parca admodum manu historica huic tractationi adspersimus. Haud fugiunt nos recepta illa vsuque probata, quibus adiuti amplioris doctrinae speciem prae se ferre autores solent, media, quae eum in finem omnia negleximus, quo animus soli doctrinarum propositarum considerationi intentus in multa haud distraheretur, vel scriptorum, quos adlegere nos oportuisset, amore captus propositis rebus iusto minorem curam impenderet. Et hoc ipsum effecit, vt ne eos quidem excitauerimus, qui argumenta a nobis perpensa vel primi adduxerunt, vel adducta ab aliis suo calculo vteriorique explicatione munierunt, cum ignotos ipsos haud esse lectoribus nostris, iure suspicari queamus. Ita intelligentis Lectoris iudicio omnem hunc laborem nostrum submittentes, non metuimus iudices, subnexi moniti *LA MOT-TIANI* memores,

*Dites vos iugemens ; mais ne soies pas fous,  
Jusqu' a vouloir y soumettre les autres.*

SECTIO



SECTIO I.  
DE MODIS SIMPLICITATEM ANIMAE  
DEMONSTRANDI,  
GENERALIA.

§. 1.

Cum animae simplicitatem euieturum, demonstratione id efficere oporteat, ex diuersis propositionem quandam demonstrandi modis alterum adhibendum ipsi esse, nemo non videt. Duplicem vero rationem illius Logici docent, *ostensiuam s. directam* aliam, aliam vero *apagogicam*; hinc vel illius, vel huius regulas sequatur, hoc sibi negotium sumens, necesse est.

§. 2.

Cui *ostensiuam* huius propositionis *demonstrationem* condere placuerit terminos in illa obvios euoluat, vsque dum ad eiusmodi peruenerit vel alterutrius vel vtriusque characteres, quorum vnum inuolui ab altero patet. Et cum termini in quacunque propositione obuii vel subjecti locum, vel praedicati tueantur, hinc vel illius solum, vel huius, vel vtriusque characteres analysi sua investigare tenebitur, qui in eiusmodi demonstratione operam suam ponit.

A

§. 3.

§. 3.

Est vero propositio praefens, *Anima est ens simplex*, ex earum genere, quas vniuersales categoricas Logici nominare sueuerunt. (*Per-Illustr.* WOLFII *Log.* §. 216 242. 250.) adeoque necessariam praedicti ad subiectum relationem inuoluit (*ibid.* §. 215. III. DARRIES *Ars inueniendi* §. 175.) Hinc vel posito subiecto, necesse esse poni praedicatum, vel positis, quae praedicti ideam constituent, necesse esse subiectum poni, animae simplicitatem directe demonstraturus, ostendat. Si prius subiectum, sin vero posterius, praedicatum euolui debet.

*Schol.* In propositionibus vniuersalibus categoricis omnibus necessariam praedicti ad subiectum relationem, Logicis nixi principiis, adstruximus, Quae enim opponi solent exempla, destituuntur modo determinatione quadam in subiecto latente s. implicite obuia, qua expressa, omnes tales propositiones necessariam inuoluere relationem facile patet, quod inductio plurium probat.

§. 4.

Omni ideae alicuius euolutionem triplici tantum ratione fieri posse monendum vix erit. Vel enim euoluitur *idea perfecte* cum altera *reciproca*, vel *superior*, vel *inferior*. In demonstratione propositionis praesentis ergo ex solo praedicto euolutionem intueri qui cupit, ex tribus iis propositis vnam sequatur necesse est.

§. 5.

*In propositione vniuersali categorica, si praedicatum est idea latior subiecto, ex sola praedicti euolutione necessaria eius ad subiectum relatio directe inferri nequit. Id enim fieret per euolutionem vel (α) ideae perfecte reciprocae, (β) vel superioris, (γ) vel inferioris. (§. praeced.)*

*Non per primam.* Est enim idea euoluta, utpote cum praedicto perfecte reciproca, subiecto propositionis latior, adeoque par-

particulariter de eo tantum praedicari potest. (*Per-III. WOLFII Log. §. 258. 217.*) Idea vero, quae particulariter tantum de alia dici potest, potest etiam dici de iis, quibus subiecti idea non competit, adeoque ex ea cognosci non potest, quod subiecto necessario tribuatur. Hinc per solam praedicati evolutionem hoc casu necessariam eius ad subiectum relationem inferri non posse, patet.

*Neque per secundam.* Idea namque euoluta est latior ipsa illa, ex qua per evolutionem orta, seu praedicato, adeoque particulariter cum illa tantum combinari potest. Sed idea euoluta est medius terminus. (*b. Corv. Log. § 760.*) qui hoc casu cum praedicato in propositione maiore syllogismi primae figurae combinatus, particulariter tantum sumi posset, adeoque nec per talem evolutionem syllogismus in prima figura strui potest.

*Neque tandem per tertiam.* Ita namque vel euolueretur ipsum propositionis subiectum, quod non potest esse medius terminus; vel alia idea cum subiecto sub idea eadem superiori, scil. praedicato contenta, adeoque cum subiecto *coalterna* s. *coordinata*. Quod si iam hinc concluderem, a positione vnus ideae coordinatae ad alterius positionem concluderem, quod regulis Logico-  
rum repugnat.

*Schol. 1.* Secundum huius § membrum ita quoque demonstrari poterit: Si ex solo praedicato hoc casu evolutionem instituo, idea inde nata ad subiectum se habebit, vel vt genus ad speciem determinatam, vel vt species ad indiuiduum determinatum. Si ergo ex idea praedicati sola evolutionem instituo, pro genere, determinata species, scil. subiectum, vel pro specie, determinatum indiuiduum, idem scil. subiectum, substitui debet, quod tamen Logicae regulae non permittunt.

*Schol. 2.* Negamus in § tantum, necessariam praedicati ad subiectum relationem ex sola praedicati evolutione in propositione, qualem supponimus, fieri; at contingens omnino per eam deduci adeoque propositionis modalis demonstratio institui ita poterit.

*Schol. 3.* Non aliena sunt a proposita in § propositione, quae celebriores Logici docent, *Per-III. WOLFIVS Log. §. 551. n. 2.* idem

in solutione problematis propositi requirere videtur, quod exempla allata quoque confirmant. *III. DARIES* (*Log. §. 315. Casu 1. ad num. V.*) idem docet. Et licet *n. V.* analysin praedicati instituere iubeat, si subiecti analysis characteres haud detexerit, demonstrationi sufficientes, non tamen ita solutionem problematis procedere, iudico. Sic quoque *b. CORVINVS* (*Log. §. 760. Schol.*) evolutionem ex praedicato maxime in demonstrationibus propositionum particularium locum habere asserit; quae quamquam expresse haud thesin nostram firment, id tamen inuoluunt in demonstratione propositionum vniuersalium evolutionem potius subiecti instituendam esse, quod in solutione problematis §. cit. tradita requirit, quae vero, vt plures aliae laudati huius Auctoris, satis euoluta non est atque explicata. Addimus *celeberr. SEGNERVM* (*Log. prop. 42.*) & *III. atque Summe Reuerendum HANSCHIVM*, qui in *Ο γὰρ Ο γὰρ* P. II. Cap. II. §. 4. ostensiuam demonstrationem definit, cum ex ipsa notione subiecti, mediante syllogismorum concatenatione nunquam interrupta deducitur nexus praedicati cum subiecto necessarius.

*Schol. 4.* Qui de inventione medii demonstrationis ( doctrina, de qua modernae Logicorum tabulae fere silere videntur ) solliciti valde fuerunt, & copiose grauiusque locuti *Scholastici Philosophi*, quaestionem operose tractarunt, an medium demonstrationis sit definitio subiecti, an praedicati, an vtriusque extremi. Prouti philosophandi qua utebantur ratio ferebat, in diuersa multa circa hanc rem abierunt. In eo tamen plurimi cum *IOANNE SCOTO* & *DIVO THOMA* consentiunt, quod in potissima demonstratione, i. e. tali in qua praedicati vices propria quaedam affectio subiecti subit, medium definitione subiecti constituatur; quae sententia ipsa est, quam nos rationibus muniuimus. Vid. hac de re *CONIMBRICENSES in Dialect. Arist. post. Lib. II.* *ZABARELLA de medio demonstrationis Lib. I. Op. Log. p. m. 530.* *DOMINICVS MARIA de BRANCACCINIS in egregia Sylloge Dialecticorum Disput. XXXI. Quaest 4 p. 368.* *SCHEIBLERVS tract. Syllog. cap. XV. p. m. 772. seqq.*

§. 6.

Datae ergo propositionis veritatem *directa* demonstratione euicturus, vel *solam subiecti*, vel *subiecti & praedicati* euolutionem instituat.

§. 7.

Si euolutio ideae praedicati latioris subiecto, ad demonstrationem propositionis U. C. aliquid conferret, per eam cognosci deberet idea, ex cuius positione necessaria subiecti positio inferri posset. Sed necessaria positio subiecti ex positione eiusmodi ideae inferri nequit, (§. 5.) *Euolutio itaque ideae praedicati latioris subiecto, ad demonstrationem propositionis U. C. nihil conferre potest.*

*Schol. 1.* Confirmatur idem inductione. Sume propositionem U. C. e. g. *O. homo est rationalis*, & euolue ideam, facultate nexum notionum perspiciendi praediti, nunquam conclusionis vniuersalem veritatem inferes, nisi homini talem facultatem inesse probaueris, hinc nisi ex idea subiecti propositionis rationem adfirmationis desumeris, 1. illam euolueris. Exemplum hoc exhibet euolutionem ideae cum praedicato, ex quo euolutio facta, reciprocae. Reliqui casus §. 4. expositi, idem apertius docent.

*Schol. 2.* Non volumus, nullam plane praedicati talis propositionis euolutionem fieri debere; id enim haud satis demonstrationum legibus conuenienter pronunciaremus. Id vero innuimus, euolutionem subiecti in demonstratione eiusmodi primarium illationis medium esse.

§. 8.

Qui ergo datae propositionis demonstrationem *directam* intendit, ideam subiecti euoluat necesse est, adeoque poni in anima determinationem sine simplicitate non possibilem, euincat.

§. 9.

Determinationes animae, a quarum positione ad necessariam simplicitatis positionem conclusio valere potest, inter constantia

animae referri debere, nemo non concedit. Erunt eae ergo vel *tota essentia*, vel *essentiale quoddam*, vel *attributum animae*, & si ad posteriorum aliquod pertinebunt, vel *communia* illa sint, vel *propria* necesse est. Omnes itaque directe demonstrandi animae simplicitatem modi erunt sequentes:

I Vt ex *tota essentia animae* inferatur simplicitas,

II Vt animae inesse *essentiale aliquod commune* ostendatur, cuius idea ideam simplicitatis inuoluit,

III Vt ex *essentia* quodam animae *proprio* deducatur idea simplicitatis,

IV Vt vindicetur animae *attributum quoddam commune*, a quo ad simplicitatem v. c. vel denique

V a praedicato quodam animae, quod est eius *attributum proprium* concludatur ad simplicitatem.

*Schol. 1.* Adiungent his forte alii modum ex actione quadam in anima obuia ad simplicitatem eius concludendi. At vero hic ipse ad aliquem eorum, quos in §. proposuimus, referendus erit. Non enim ex mutatione in anima obuiente simplicitatem quis concludet, nisi prius animae talem mutationem vel producendi vel recipiendi vim inesse, euicerit. Illiusmodi vero vis animae omnino vel ad essentialia ipsius, vel ad attributa pertinebit.

*Schol. 2.* Atque latius iam exposita, non unum praestant usum. Vel enim normam ea exhibebunt, secundum quam demonstrationes directae pro animae simplicitate, si quae conduntur, diiudicandae sunt, vel principia suppeditabunt, illarum tam materiale, quam formale acutius expendendi. Sed de his hactenus. Iam ad *demonstrationis apagogicae* considerationem progrediamur.

## §. 10.

*Indirectae s. apagogicae demonstrationis* ea est ratio, vt a falsitate duarum propositionum, ad alterius veritatem conclusio inferatur. Datae itaque propositionis *indirectam demonstrationem* conditurus, illius, quae huic opponitur, falsitatem ex principiis, quae dubia non sunt, eliciat deducatque; & si praesentem, de qua  
agi-

agimus, propositionem spectas, talia tentantem oportebit, propositionem, *anima non est simplex, vel, anima est composita*, falsitatis arguere convincereque.

§. 11.

Duplici hoc negotium absoluetur modo, si recte iudico, idque pro duplici, qua falsitas propositionis concluditur, ratione. *Vel* enim propositio ista principii loco ponenda est, ut deductis ex illa aliis propositionibus falsitas ipsius appareat, *vel* conclusionis loco sumenda est, atque sic ex aliqua ratione falsitas eius deriuanda erit. Prior modus est, quem in demonstratione apagogica, ut plurimum adhibere solent. Dicamus de utroque, & primum quidem de posteriori, si pauca prius praemiserimus.

§. 12.

*A sola falsitate modi, quo propositio quaedam infertur, ad absolutam propositionis istius falsitatem non semper v. c.,* Ex falsitate enim modi concludendi nihil fluit, nisi tantum, quod propositio quaedam rite non sit deducta. Ex eo vero, quod propositio non rite sit deducta, quod ipsa falsa sit, concludi nequit. Concluseremus enim a modo cognoscendi propositionem ad eius intrinsecam, quod haud licet. Vnde veritas asserti apparet.

*Schol.* Id tamen ex falsitate adhibiti in concludendo modi apparet, quod propositio nondum sit sufficienter probata.

§. 13.

*Si propositio quaedam ex aliis, nulla alia, nisi falsa deductione concludi potest, ipsa falsa erit.* Si negas, poterit & vera esse, adeoque vera propositio non legitime poterit concludi; sed quidquid verum est, id aliqua quoque vera ratione cognosci potest. E. quidquid aliqua vera ratione cognosci non potest, non est verum, sed falsum. Propositio itaque, quae ex aliis nullo vero modo concludi potest, falsa sit, necesse est.

§. 14.

Pariter & constat, *propositionem, quae non nisi ex falsis propositionibus*

*nibus deduci potest, falsam esse.* Quoniam non nisi ex falsis principiis fluit, ratio illius in aliqua vera propositione esse nequit, hinc destituitur vero principio. Sed omnis conclusio, vero principio destituta, falsa est; A falsitate enim principii ad falsitatem principii qua talis, v. c.

*Schol. 1.* Loqui nos de istiusmodi propositionibus, quae deductione opus habent, patet.

*Schol. 2* Non ignorant Logici, ex falso aliquando per accidens verum sequi, (§. 545 *Logic. CORVINIANAE*), quibus ne contradicere videamur, monemus, eiusmodi propositionem veram, quae ex falsis per accidens sequitur, tamen et ex veris aliis deduci posse, adeoque istiusmodi principiis non destitui. Nos vero in §. supponimus, propositionem, cuius falsitas ita elucere debet, non nisi ex *falsis principiis* sequi posse.

*Schol. 3* Idem forte, quod in §. docuimus, animo complexus est, *ill. DARIES log. §. 329* modum falsitatem propositionis concludendi talem tradens, ut omnes alicuius propositionis rationes possibiles investigentur, atque earum falsitas demonstretur.

### § 15.

Duplicem adeo hic modus inuoluit rationem, qua falsitatem conclusionis cognoscere valemus. *Vel* enim ostendatur eam nulla vera concludendi ratione deduci posse ex aliis veris propositionibus, *uel* ex nullo vero principio eandem posse concludi. Quarum aliquam, qui ad propositionem praesentem applicare voluerit, sumat eam tanquam conclusionem, & demonstrationem ipsius tentet directam. Tunc *prius* si intenderit, omni possibili concludendi modo eam condant; Si vero *posterius*, principia, quae ad illius probationem conferre quid videntur, omnia sumat, eorumque falsitatem, & praeterea vix alia vera principia eius inueniri, doceat. Ita namque vi §. §. 14. 15. apparebit conclusionem esse falsam, hinc oppositam ei propositionem veram.

*Schol.* Difficillimum tale esse negotium, & vix eius inveniri specimina

na

na, facile largimur. Ast vero non omnes plane superat vires. Cum enim Logicorum industria omnes possibiles veros concludendi modos detexerit, prius non plane impossibile haberi potest, & quid ad posterius efficiendum opem nobis ferat, docuit *III. DARRIES l. c.*

## § 16.

Altera demonstrationis apagogicae ratio ea est, qua propositionis demonstrandae oppositum principii loco ponitur, atque per conclusionem demum illius falsitas elicitur. Fieri illud non posse, nisi ex propositionis datae vel subiecto, vel praedicato quaedam alia euoluitur idea, cum ipsa, ex qua euoluta, combinanda, vt inde conclusio prodeat, neminem fugit. Quoniam, si conclusio legitime deducta falsa est, falso principio tribui illud oportet, (WOLFFII *Log. §. 537*) ostendendum tunc erit, ex praemissis positis non alteram, quae evolutione mediante orta est, sed illam, quae propositioni demonstrandae opponebatur, erroneam esse, vt ita ad demonstrandae, vtpote oppositae, veritatem concludatur. (*ibid. § 56.*) Omnis itaque haec res in eo vertitur, vt conclusionis falsitas appareat.

## § 17.

Duplex huius cognitionis via trita est; *vel* enim ex combinatione praedicati cum subiecto in conclusione facta repugnantia quaedam oriatur, quae propositionem in se impossibilem adeoque falsam reddit, id quod comparatio extremorum, eorumque adaequatio instituta docebit; *vel* inde demum talismodi propositionis falsitas constabit, si cum aliis veris sufficienter probatis propositionibus collatam, iisdem contradicere, eluxerit.

## § 18.

Quoniam omnis propositio vel necessario vera est, vel contingenter, conclusio, quae ex opposita alicui verae propositione deducitur, *vel necessario, vel contingenter* verae propositioni repugnat. Si prius, ipsa conclusio pro necessario & absolute falsa, si posterius, pro contingenter tantum falsa, adeoque quae et vera esse

B

potest



potest, habenda veniet. Ex posteriori ad oppositae veritatem necessariam non v. c. hinc si propositionis demonstrandae necessaria veritas deducenda est, talis non sufficiet conclusio, quae contingenter veris aliis propositionibus modo contradicit. Et hoc tenere oportet eos, qui animae simplicitatem demonstratione quadam apagogica conficere sibi sumunt. Cum enim propositio deducenda necessariam inuoluat veritatem, (§. 3.) facile patet, per hanc apagogicam demonstrationem deducendam esse conclusionem, quae necessario veris propositionibus repugnat.

*Schol.* Interim non vnus syllogismi ope semper ad eiusmodi conclusionem deueniemus, quare ratiocinatio polysyllogistica in subsidium haud raro eum in finem vocanda erit.

### §. 19.

Atque sic omnes, quibus propositio: *Anima est simplex*, demonstrari poterit, rationes indicasse nobis videmur, ad quas cunctae quae hunc in finem afferri solent probationes, referendae erunt. Faciemus eius rei in sequentibus periculum, ita, vt simul, num cuncta, quae eiusmodi demonstrandi genus requirit, rite adhibita sint, disquiramus. Vnicum modo prius volumus, propositionem scilicet, quam consideramus, sequenti intelligendam esse modo, quod *omne ens, quod mutationes, quae in proprio ipsius corpore organico producuntur, distincta cogitatione sibi repraesentat, tale sit, quod in varia entia vere diuersa resolui nequit.* Quos mens eorum, qui huius rei disputationem instituerunt, haud fugit, nihil nos hic assumere, quod ab illis non concederetur, faciles lubentesque largientur.

## SECTIO II.

### IVDICIA DE QVIBVSDAM ARGVMENTIS, QVIBVS ANIMAE SIMPLICITAS PRO- BARI SOLET.

#### §. 20.

Argumentorum quorundam, quae animae simplicitatem ad-

adstruere putantur, indolem ac robur examinaturi, quae trita sunt hodie, & multorum consensu stipata, potissimum spectabimus. Ita vero rem omnem conficiemus, vt, quibus proponuntur, ratiocinia ordine disponamus, disposita ad classes in praecedentibus constitutas referamus, tuncque num cuncta se ita habeant, prouti demonstrationis leges postulant, pronunciemus.

## §. 21.

Recepta hodie pro huius propositionis veritate argumenta, pene omnia *indirectae demonstrationis* leges sequuntur, secundum quas & procedit sequens trita satis argumentatio, quae ex negata composito possibilitate cogitandi ad entis cogitantis animaeque concludit simplicitatem. Tota, quae eum in finem necti solet, ratiociniorum series ita se habet:

*Q. non potest res repraesentatas inter se conferre, comparare, neque distinguere eas, neque illarum conscium esse, id non potest cogitare. Atqui compositum Sc. E.*

Tuti de maioris propositionis, quae ipsa cogitationis requisita ponit, veritate, in minoris confirmationem adiucium sequentia:

*Si compositum res inuicem conferret, eas distingueret, adeoque illarum conscium esset, id per quandam compositi mutationem fieret:*

*Sed per nullam in composito mutationem id fieri potest, E.*

Iterum negatio consequentis confirmatione indiget, quam ita addunt:

*Q. non per motum fieri potest, id per nullam mutationem in composito fieri potest:*

*A. res inter se conferre, distinguere eas, earumque conscium esse, fieri non potest per motum, E.*

Vtraque praemissa syllogismi praecedentis consideranda paulo attentius erit.

## §. 22.

Et quod maiorem spectat, tanquam principium ontologicum omni exceptione potius, illa sumitur. Nescimus autem num satis hucusque confirmata sit, vt principii tam vniuersalis, quod &

hic applicari possit, vices tueri queat. Ne ratione haec nostra obiectio destituatur, sequentia notari velimus :

- I.) Si per mutationem, quae fit in composito, intelligitur talis, cuius subiectum immediatum est ens, quod plurium entium extra se positorum nexu, ( cohaesione ) constituitur, qua tale, s. quatenus tantum plurium eiusmodi entium nexu constituitur, faciles propositionem largimur ; tunc vero nondum, qua ratione tuto ad praesentem scopum applicari possit perspicimus.
- II.) Si vero mutatio in composito facta, ea dicitur, cuius subiectum immediatum sunt entia, quorum nexu compositum constituitur, qua talia, mediatum vero ens illud compositum, tunc propositionem haec concedere non possumus. Accipe huius asserti rationes.

### §. 23.

Ad primum §. praec. membrum quod attinet I.) composito sub iis determinationibus competere non possunt mutationes, quam quae ex extensione fluunt ( *Perill WOLFII ontol. §. 640 & Cosmol. §. 127.* ) Mutationes vero, quae ex extensione fluunt omnes fiunt motu ( *ibid. Ontol. §. 667. Cosmol. §. 128.* )

*Schol. I.* Bene itaque WOLFIVS *Cosmol. §. 127.* *Schol.* monet in corporibus, *NB. quatenus extensa sunt*, nullam mutationem contingere posse, nisi quoad figuram, magnitudinem, partium situm & locum. Atque haec propositio ipsa ratio est, cur composito nullae, nisi per motum mutationes tribuuntur, ( *Ontol. §. 667.* )

*Schol. II.* Quando in §. asserimus mutationes, quae ex extensione fluunt, fieri per motum, & §. 128. *Cosmol.* WOLFIANAE allegamus, Lectores loca WOLFIO ibidem citata evolvere haud graventur.

### §. 24.

II. Iam syllogismus ultimus, cuius §. 21. meminimus, per §. 23. ita fluat, necesse est :

Quicquid per motum fieri nequit, id per nullam compositi mutationem, ( adiciatur limitat. scil. quae ex extensione fluit, ) fieri potest. E.

E. conferre res inter se &c. non potest fieri per mutationem quamdam compositi, (*scil. talem, quae ex extensione fuit.*)  
 Num satis ita probatum, quod per nullam compositi mutationem  
 7<sup>o</sup> conferre res, &c. fieri possit, patet.

§. 25.

Secunda §. 22. assertio his fere nititur rationibus:

α.) Quod omnis corporis mutatio fiat per motum, non alio, nisi quem N. I. §. 22. indicauimus, haecenus euictum est sensu; (§. 23) hinc, si alia ratione propositio ista sumitur, pro precaria sumenda, certe nondum demonstrata habenda est.

β.) Plures quam ex extensione fluunt, in composito possibles esse mutationes, negari nequit. Extensio enim sola non constituit compositi essentiam, (WOLFII *cosmol* §. 122. & DARIES *Somatol.* §. 3.) Non itaque omnes, quae composito inesse possunt, mutationes fiunt motu. Probant & hoc, quae ipsis tribuuntur, vis inertiae, (WOLFII *Cosmol.* §. 129. 130.) quae non determinatur per extensionem, (ibid. §. 131.) Vis motrix, (ibid. §. 135. 147.) Et ipsa simplicia, quae composita constituunt, quatenus vt coexistentia & vnum efficientia spectantur, plures admittunt relationes, quam solam extensionem, et quae per eam determinantur. Propositio itaque maior syllogismi §. 21. asserta, eo sensu, quem n. II. §. 22. exposuimus, assensum vix meretur.

*Schol.* Ne obiicias, mutationes, quarum subiectum immediatum sunt entia quorum nexu composita constituuntur, qua talia, esse ipsas mutationes simplicium. Dum enim adiecimus, quod sumantur, quatenus nexu suo compositum constituunt, patet, quod non simplicia vt talia, sed vt compositum constituentia, sumserimus.

§. 26.

At largiamur tamen maiorem; non certe & minoris veritas satis euicta. Quam itaque vt probent huius argumenti defensores ita colligunt:

Pone I. 7<sup>o</sup> conferre res inter se, eas distinguere, atque illarum

B 3

con-

conscium esse, fieri per motum. E. *vel* omnes partes corporis, in quo idem fieret, mouerentur simul; *vel* quaedam tantum eius partes, reliquis quiescentibus. Sin illud, motus ille *vel* externus erit totius compositi, *vel* intestinus tantum.

Pone II. Moveri tantum quasdam compositi partes, reliquis quiescentibus, tumque per aliquod tempus continuari actum cogitationis, (quod fieri in ente cogitante posse, docet experientia,) E. *vel*

α.) eadem numero materia in eodem loco motum suum continuat, adeoque partes materiales in eodem situ manebunt, quem *per* motum separatae a reliquis, obtinuerant, *vel*

β.) aliae in eundem situm continuo succedent.

III. Et si quoduis horum, vel alterutrum fiat, nihil tamen erit, quod res repraesentatas inter se conferat, a se inuicem distinguat, & earum sibi tanquam extra se existentium, conscium sit. Qui actus, cum cogitationis ideam constituat, (WOLFII *Psychol. empir.* §. 23.) nihil per cunctas has compositi mutationes, adeoque per motum efficietur, quod ad cogitationem requiritur, hinc *compositum cogitare non potest.*

*Schol.* Ita argumenta strui, prouti proposita hic a nobis sunt, ignotum nemini erit. Adiecimus tantum in suppositione Ima quaedam membra, ab aliis vt plurimum neglecta.

### §. 27.

Varia sunt, quae in hac probatione notari merentur. Negliguntur a plurimis rationes, quibus ostenderetur cogitationem non produci, neque per motum totius compositi externum, neque per motum omnium partium seu motum compositi intestinum. Sed vero & haec membra remoueri oporteret, si completa propositio- nis huius demonstratio habenda esset. Praeterea omne argumen- to huic robur ex eo quaeritur, quod, supposito, quamuis compo- siti mutationem fieri per motum particularum quarundam, tamen per nullam motus illius speciem ea producantur, quae ad cogitati- onem solent requiri. Atque hoc ipsum, nisi fallimur, est, quod rationibus stabiliendum erat, quas qui non suppeditat, principium pete-

petere, forte ab aliis censebitur. Neque sufficit, quod nos ex eiusmodi motibus in composito obuiis ea, quae in cogitatione requiruntur, cognoscere haud valeamus, cum sola rei ignorantia negationem illius nulla ratione inuoluat. Et non sine iniuria fingendi libidinis postulantur, qui corpori facultatem cogitandi asserunt, ignorantiam modi, quo ipsum agit, licet professi. Qualis enim ista foret concludendi ratio: Qui ignorare se, quomode  $\gamma^{\omega}A$  competat B. largitur, is fingit  $\gamma^{\omega}A$  competere B. Omne quod inde aequa ratione colligi poterit, erit, quod ratione quadam, cur  $\gamma^{\omega}A$  tribuat B. destituatur, ex quo tamen nunquam inferri poterit, B.  $\gamma^{\omega}A$  plane non competere. Denique eadem ratione, qua corpori his argumentis denegatur cogitandi facultas, vti poterunt, qui simplicibus eandem concedere nolunt, cum & difficile nobis conceptu sit, quin ignoretur, quomodo ens simplex res repraesentatas inter se conferat, atque a se inuicem distinguat. Ex quibus patet, quam parum in his argumentis animae simplicitas inueniat praesidii.

§. 28.

Aduertentibus itaque sagaci animo aliis, sic nondum rem omnem confici, nouam huic sententiae auctoritatem conciliare, nouaque hoc ipsum argumentum confirmare ratione, ausi sunt. Itaque a negata in corpore conscientia 1) *sui ipsius*, 2) *rerum aliarum*, ad negationem cogitationis in corpore possibilis concludunt. Quo minorem ratiocinii sui propositionem commonstrent & euincant 1) corpus cogitans *sui non esse conscium*; ponunt, cogitationem in corpore existentem fieri per motum & durare aliquo tempore, adeoque vel particulae compositi

I) manebunt in eodem situ suo; vel

II) similibus & aequalibus succedent similes & aequales; vel

III) quarundam particularum motus ab aliis aliquamdiu similiter afficietur, vt per harum statum agnosci possit vniformitas illarum.

Negant vero in quocunque horum casuum fieri comparationem status particularum cogitantium antecedentis cum consequenti, quae ad cogitationem tamen requiritur.

§. 29.

## §. 29.

Vellemus autem distinctius mentem suam exprimerent, atque rationes cur in nullo casuum illorum comparatio status antecedentis cum consequenti adesse possit, proferrent, qui argumentum hoc ita latius exponere voluerunt, vt intelligeremus, quoin praecise difficultas talis comparationis supponatur consistere. *Priori casu* equidem, quoniam particulae situm suum non mutant, externe non differunt; Ast interne tamen differre possunt, atque haec differentia id esse poterit, ex quo conscientia sui in toto composito oriatur. *Alter casus* ponit, succedere sibi similes & aequales, quo quidem posito internae spectatae eadem erunt particulae, sed externe tamen differentes. Quid? Si ergo ex hac differentia particularum suarum compositum se agnosceret? Et quod vrgent, in *casu tertio* particulas istas diuersas esse ab iis, a quibus afficiuntur, adeoque non posse ex alterarum statu se ipsas agnoscere, sine noua status sui antecedentis cum consequente, comparatione, atque ita in infinitum; id equidem, qua ratione thesin assertam probet, perspicere vix datur. Forte non requirerent alii, vt quaeuis particularum cogitantium se ipsam agnoscat, modo ipsorum aggregatum ex mutationibus, in particulis istis obuiis, atque ex diuersitate particularum, quae reliquas afficiunt, cum his, quae afficiuntur, simul sumtarum, se ipsum agnoscat; quod si fieret, satis composito cogitandi facultatem vindicaret.

## §. 30.

Et quo probent 2) compositum non praeditum esse conscientia rerum externarum, quoniam non repraesentat eas a se diuersas, prouocant ad id, quod omnis repraesentatio rei, quae fit in composito fit repraesentatio compositi, vt in composito, non vt *extra* illud, qualis tamen repraesentatio requiritur ad conscientiam rerum externarum; sed qua ex ratione hoc ipsum assertum inuictum statuatur, haud tradere solent. Probabunt illud vel per experientiam, vel ex compositi atque repraesentationis rei vt externae, notionibus, quoniam scilicet hae sibi inuicem contradicunt. Posterius, si quae vnquam propositio alia, probatu erit difficillimum, id quod quae sequentur, exponent,

nent. A priori vero non omnis erroris suspicio abest, siquidem experientia iudex huius disputationis videtur plane incompetens atque ineptus, licet ad eam plures confugere soleant. Per eam quidem cognoscere valemus intrinseca, quae in nobismet ipsis fiunt, non item intrinseca aliorum entium. Et licet nobis tum demum compositum aliam quandam rem repraesentare appareat, quando similitudinem extrinsecam eius cum re repraesentata nos aduertimus; iniuste tamen inde concluderemus, nunquam a composito repraesentari rem aliam, nisi externae vtriusque determinationes conuenientiam quandam prodant. Quid si enim concluderemus: Non ego cognosco, Caium cogitare, nisi symbolice cogitationes suas exprimat; E. Si Caius mentem symbolice non explicat, non cogitat. Eadem, quae huic conclusioni mouentur dubia, & praecedentem prement.

*Schol.* Est praeterea aliquid, quod circa hanc probationem assensum nostrum moratur. Scilicet, qui aliquam ipsi vim tribuunt, ea compositorum exempla allegare solent, quae res alias exprimunt per extrinsecam suam cum illis conuenientiam, atque sic omne compositum res alias tantum exprimere posse iudicant. At eiusmodi instantias ad formandam propositionem vniuersalem sufficere, vix nobis persuadere possumus.

§. 31.

Liceat adhuc vnum addere. Sit ita, recte haec omnia se habeant, non tamen aliud exinde sequetur, quam per ea, quae in composito deprehenduntur a nobis, cogitationem perfici non posse, seu, quod idem est, vim compositi internam, quam nos cognoscimus, producendis cogitationibus parem haud esse. An vero rite ex eo concludetur, quod  $\gamma$  cogitare plane in composito esse nequeat? Scimus, quam medelam adhibeant huic vulneri sententiae illius fautores. Operose contendunt, si composito per vim intrinsecam cogitationes inesse nequeunt, neque cogitandi vim ipsi per Numinis potentiam communicari posse. Nimis praeceps nobis haec colligendi ratio videtur. Quis quaeso ferret sequentia: Brutum per vim suam, quam nos cognoscimus, intelligenter loqui non valet, E, nec Numinis potentia efficere potest,

C

vt

vt idem intelligenter loquatur. Vel ita: ferrum aquae innatare per vim ipsius nobis cognitam, non potest. E. neque idem potest per Numinis potentiam. Tum demum Diuinam potentiam effectui A imparem pronunciare licebit, si euiceris, effectum A *vel in se, vel in subiecto* determinato B esse haud posse, seu eidem repugnare. Hoc vero nondum constat, si solum effectum A, per vim entis B existere non posse adstruxeris. Non leue enim vtrumque inter intercedit discrimen. *Effectus A per ens B non est possibilis, si quidquid in B ponitur, non est ratio sufficiens ꝛ A. Repugnat vero effectus A ꝛ B, si posito altero affirmatur, quod alterum negat, vel vice versa.*

## §. 32.

Fallimur itaque, aut iure desideramus, ut ii, qui argumentis his fidem conciliare student, ostendant,

I.) conferre res inter se, easque distinguere, fieri non posse per compositum. Hoc enim nondum satis euictum esse, docent

§§. 27. 29. 30.

II.) Poni in composito aliquid, quo posito negantur hae cogitationis affectiones, vel viceversa. Id enim desideratur §. praec.

Nisi ergo vtrumque factum fuerit, probatio talis indirecta demonstratio haberi haud poterit. (§. 17. 10.)

*Schol.* Sunt praeterea alia argumenta, quibus euincere student Philosophi, motum vel non esse posse cogitationem, vel hanc ex illo non posse oriri. Videbimus illa dein, si prius principia quaedam, quibus suas probationes superstruunt, discussimus. Qui ita concludunt: *Quidquid est intrinseca determinatio, entis simplicis, non potest esse motus intestinus; sed cogitatio &c.* E. ii aliunde probare tenentur, cogitationes esse intrinsecas determinationes *entis tantum simplicis*, de quo in sequentibus agemus. Remouere praeterea debent, non per motum externum entis simplicis oriri posse cogitationes; nisi enim & hoc adstruxerint, vniuersalem propositionis, *cogitatio non est motus*, demonstrationem suppeditasse, haud censendi sunt.

## §. 33.

Sed adsunt adhuc alia, quibus cogitationem neque esse motum

tum, neque per motum fieri, probari solet argumenta, quae prou-  
ti grauiora videntur, ita maiori studio considerata erunt. Se-  
quens huc pertinet ratiocinium ita formatum :

*In quocunque simul, s. eodem momento existunt duae partes ipsum constitu-  
entes, earumque vna in altera, id non potest esse motus; sed in cogitati-  
one simul duae partes ipsius, perceptio scilicet & apperceptio, atque haec  
in illa, existunt, E. cogitatio non potest esse motus.*

Majorem probant, quoniam motus perpetuus fluxus rerum est, in  
quo vnum post alterum semper ita venit, vt ens quod mouetur,  
relieto loco vno, demum alterum occupet. Non quidem hoc in-  
ficiamur, dum nihil aliud hic intelligi censemus, quam momen-  
tum motus vnum, ab altero eius momento semper differre, non  
autem eo inferri, quod ens, quod mouetur, non eandem inter-  
nam determinationem in variis motus partibus, in quas succe-  
dit, retinere possit, quippe quod exinde non sequitur. Neque  
repugnat plures determinationes in ente quod mouetur, simul ef-  
se, & per varias motus partes easdem continuari. *Directio enim  
& celeritas, quae omni motui insunt, (Per-III. WOLFII Cosm. §. 172.)  
per omnem motus partem eadem esse possunt.*

§. 34.

Iam quoad minorem notandum, si perceptio & apperceptio  
partes cogitationis vnus dicuntur, & exinde concluditur, per  
motum cogitationem perfici haud posse, eodem sensu perceptio-  
nem & apperceptionem partes cogitationis dici debere, quo mo-  
tus partes in maiori sumuntur. Atqui in maiore partes motus  
dicuntur momenta diuersa, per quae motus durat, qualia perce-  
ptio & apperceptio respectu cogitationis sane nec esse, nec haberi  
queunt. Maioris propositionis sensus, si recte iudicamus, hic  
est: in motu non potest vnum momentum ipsius, simul esse cum  
altero; Minoris vero sensus sequens erit: in cogitatione duae  
sunt determinationes simul, scil. perceptio & apperceptio. Ex  
quo, nisi fallimur, apparet, terminum partis in praemissis dupli-  
citer supponi. Substituatur loco termini *partis* (cui omnis haec,  
si quae est probatio, inuoluitur) generalior *determinationis*, & ra-  
tiocinium ita fuit:

*In quo esse possunt duae ipsius determinationes simul, id non potest esse motus: sed in cogitatione Sc. E.*

Tunc vero maiorem iure nostro negamus, §. praec.

*Schol.* Non reprehensum iri speramus, quod loco termini *partis*, alterum generaliore, *determinationis* posuerimus. Namque quantum nos quidem cogitatione consequi valeamus, pars hoc loco dicitur: *quidquid generatim ad alterius constitutiva refertur*, ita vero & directio & celeritas partes motus appellari possunt. Si alium significatum termino *partis* iunxeris, negamus, perceptionem & apperceptionem cogitationis partes esse. Certe non eodem modo cogitationis erunt partes, quo diuersa momenta motus, partes motus dicuntur.

### §. 35.

Aliam premunt viam, qui *ex vnitatem entis cogitantis* concludunt animae simplicitatem, quod & veterum Philosophorum nonnulli (*vid. CVDWORTHII systema intellectuale, Cap. V. Sect. III. §. 43*) & recentiores quidam fecerunt. Quam argumentandi rationem, ut accuratius consideremus, hic pauca de vnitatem entis & indiuidui praemittemus. *Vnum* dici *A*, quatenus determinationes ipsius sunt inseparabiles, constat (*WOLFII Ontol. §. 328*). Quare *unum ens* erit, ens, cuius determinationes ipsum ut tale constituentes, sunt inseparabiles. *Ens* vero omne vel *simplex* est, vel *compositum*, & hoc qua tale per plura entia constituitur, quae, quatenus hoc compositum constituunt, inseparabilia sunt. *Vnum* ergo, vel *simplex* est, vel *compositum*. Quoniam posterius per plura entia constituitur, quamdiu aliquid compositum est, constituentia ipsius certe inseparabilia erunt. In composito itaque qua tali datur inseparabilitas eorum per quae constituitur, hinc,

- 1) *Ens compositum erit unum ens;*
- 2) *Quidquid fit in ente A, quatenus determinationes ipsius sunt inseparabiles, id fit in ipso, tanquam in vno ente; sed quidquid fit in pluribus entibus  $\int_0^1 A$  constituentibus, quatenus scilicet illud constituunt, id fit in ente A, quatenus determinationes ipsius sunt inseparabiles; E quidquid fit in pluribus entibus  $\int_0^1 A$  constituentibus, quatenus scilicet illud constituunt, id fit in vno ente.*

*Schol.*

*Schol.* Potest compositum duplici considerari ratione, vel prout in § factum, & tunc recte vnum vocatur: vel vt tale, in quo plura entia, siue quod alii malunt, quod in pluribus entibus existit, atque tunc non vnum, sed multa, (liceat ita loqui) appellari posset. Priori respectu composito tribuitur vnitatis compositionis (vid. CHAVVINI *Lexicon Philosoph.* hac voce) quin & compositum, quatenus plures partes ad idem suppositum constituendum concurrunt, est *vnum per se*, teste CHAVVINO l. c. voce *vnum per se*, & SCHEIBLERO *op. metaph. L. I. Cap. IV. Tit. III. Art. II. p. m.* diserte pronunciantes: *Vnum recipitur cum ente, quia compositum, etsi habeat multitudinem partium, tamen reuera vnum est, in quantum omnes eius partes ab vna essentia continentur, quod quidem ad vnitatem satis est. Quare & ibid Tit. I. n. 2. p. m. 65. vnitatem transcendentalem definit. omnem indiuisiorem in quouis ente, siue quantum sit, siue non.* Neque abluunt recentiores.

§. 36.

Sumitur vero & vnus terminus alio significato, quo vnum idem denotat, quod *singulare, s. vnicum, solitarium & indiuiduum*, (vid. CHAVVINVS voce: *Vnitatis numerica*, & SCHEIBLERVS l. c. tit. I. n. 1. p. m. 65.) cum itaque omne ens existens sit indiuiduum, (WOLFII *ontol.* §. 226.) existentia vero vel *composita* sint, vel *simplicia*, vtrique & notio vnus, qualem hic tradimus, tribuenda venit, s. & compositum & simplex existens est *vnum singulare, s. numericum*. Atque haec ipsa est *vnitatis indiuidui* in quam & quadrant definitiones vnus *Leibnitiana & Wolfiana*. (vid. *Per. III. WOLFII Ontol.* §. 329 & 350.)

§. 37.

Qui iam ex vnitatis entis cogitantis rationes pro ipsius simplicitate deriuant, vel hoc, vel illo significato eandem sumere coguntur. Et si priorem admiserint, sequens formabunt ratiocinium:

Q. non potest esse determinatio in pluribus entibus existens, sed vnum subiectum requirit, id non est determinatio in composito possibilis. Ast cogitatio &c. E.

C 3

At-

Atque ut probent assertiones suas, euincere ipsos oportebit, quoad maiorem propositionem, vel

- a) *ens compositum non esse unum subiectum, vel*  
 β) *ens compositum non esse tale unum, in quo cogitatio existere potest.*

Quoad minorem vero propositionem ostendant,  
*cogitationem non posse in pluribus subiectis existere.*

Videamus iam argumenta ipsa, quibus hae propositiones confirmari solent.

§. 38.

Atque, quod in maiori propositione primum probatione indiget, quod scilicet compositum, non sit *subiectum unum*, exinde deriuare solent, quoniam omne compositum est plurium substantiarum aggregatum. Quod quidem non negantes, non tamen perspicere valemus, cur ex hac ratione statim unitas composito negetur. Diximus §. 35. id quod ad unitatem entis requiritur, competere omnino composito, scilicet inseparabilitatem plurium substantiarum, quatenus nempe hoc compositum constituunt. Quae cum in pluribus substantiis compositum constituentibus adsit, cur non ipsum compositum unum censetur? Et si sumas, substantias has, s. partes compositi vel materiae omnes esse actu separatas, atque extra se existentes, quod pariter concedimus, earum vero quaelibet continebit, quod ad constituendum compositum aliquid confert, atque per hoc ipsum inseparabilitas ipsarum constituetur. Neque hic quicquam efficit, quod in composito, aggregato plurium substantiarum, plures dentur vires, adeoque plura ponantur subiecta, non unum. Haec namque virium pluralitas, quatenus in composito existit, unicam constituit vim compositam, vim scilicet ipsius compositi, ita, ut huic qua tali, unica modo vis tribui possit. Quare & idem pro unico subiecto, s. unica substantia haberi poterit. Luditur forte termino substantiae, quando sola simplicia ipso insigniuntur. Quodsi enim substantia est ens existens, vi praeditum, cur non & composita substantiae erunt, utpote entia existentia vi composita praedita?

§. 39.

Alterum membrum, ad quod circa maiorem respiciendum est,

est, requirit accuratam vnus, in quo cogitatio existere potest, notitiam a priori, quae cum difficili negotio habeatur, eius quoque probationem tentatam esse, non nouimus. Sed de minoris propositionis probatione Philosophi magis deprehenduntur solliciti. In omni nempe cogitatione duorequiri recte docent, perceptionem nempe & apperceptionem, atque in vno subiecto vtramque fieri oportere, quod recte monent, postulant. Iam vero, si in composito cogitatio feret, asserunt, vtramque ipsius partem non in vno ente fieri, sed in multis, quorum aggregatum ipsum foret compositum. Quod vt probent, ad adperceptionem propitia veritate requirunt,

- 1) vt vnum subiectum cogitans, plures sibi repraesentet res ;
- 2) vt idem illud vnum subiectum eas inter se conferat & distinguat.

Ponamus iam compositum apperipere, tunc in istius, qua talis, pluribus partibus negotium hoc perficiatur, necesse est, idque ita, vt vna pars hanc altera pars aliam, &c. repraesentet, vna pars hanc, altera pars aliam rem &c. inter se conferat atque distinguat. Non itaque apperceptio rei alicuius in vno erit subiecto, sed in pluribus.

§. 40.

Nescimus vero, cur, etsi per partes compositi, apperceptio rerum efficeretur, tamen negare velimus, quod in vno subiecto ea perficiatur. Ipsum namque compositum, vt aggregatum harum partium, vnum ens erit. (§. 35.) Quare, quidquid fit in partibus pluribus, sed talibus, quae vnum ens constituunt, id in vno ente fiat, necesse est; sed si superiora omnia concedimus, cogitatio fit in partibus pluribus, sed talibus, quae simul sumtae vnum ens compositum constituunt; E. cogitatio, quae fit in ente composito, fit in vno ente. Non inuenimus, quid contra hoc argumentum moueri possit. Statue contrarium, & ecce, quae non absone inde sequantur. Nulla namque imago erit vna, sed plurium imaginum congeries; nulla machina vnum erit ens, sed plurium machinarum aceruus. Neque exempla, quibus hanc thesin probare student, qui eam defendunt, quidquam hae in re roboris habent. Sint membra plura societatis, quorum cuique propositio quaedam

com-

communicatur, eo fine, vt quatenam propositionum alteri praestet, pronuntietur: nunquam certe iudicium tale ferri poterit, nisi omnium perceptionum harum simplicium complexus ad vnum subiectum referatur. Atqui vero si plures compositi partes, ea, quae ad cogitationem necessaria sunt, producant, ad vnum omnino subiectum haec reducuntur, scilicet compositum, quippe quod per plures illas partes repraesentantes constituitur. Scilicet, si ens compositum in partibus suis cogitare sumitur, vis partis A. repraesentabit hoc ens, vis partis B., vel idem, vel aliud, &c. vires vero harum partium simul sumtarum constituunt vim vnam compositi, (§. 38.) repraesentationes itaque, quae per plures has vires producuntur, tandem referuntur ad vnum, subiectum nempe vis entis compositi, & subiectum adeo cogitans vnum erit.

*Schol.* Obiicitur forte: concessio omnes partes compositi cogitare, nondum concludi posse, quod ipsum compositum cogitet, quia cogitationes intrinsecae determinationes partium compositi forent, non autem compositi ipsius. Verum, tum demum haec obiectio aliquid valebit, si sumitur quamlibet compositi partem separatam a reliquis cogitare. Sed vero, prouti in argumento, quod (§. 39.) proposuimus, supponitur, non per partes compositi, vt tales cogitationes perfici, ita & nos in §. praesenti asserimus, nondum euiectum esse vires partium compositi cogitantes simul sumtas, vnam vim cogitantem compositi non constituere, adeoque contra nos dubium tale nil quidquam efficiet.

#### §. 41.

Qui posteriori significatu  $\text{7}^{\text{s}}$  vnius, de hoc loco disputantes vtuntur, supponant necesse est, integrum cogitationis actum, si in composito fieret, non absolui in eodem, sed diuersis subiectis. Quod vt probent, duplici principio vtuntur. Prouocant alii ad experientiam internam, qua duce, ad me cogitantem v. g. statuam, attendens deprehendo, eundem me qui cogitat caput statuae, cogitare & pedes, thoracem, reliqua. Non negari potest, quod experientia quamlibet statim docet. Sed nimium ex ipsa inferri, Logicae regulas migrantes nobis videntur, qui ita rationes subducunt.

tunt. Experiō, est ita, eundem me, qui statuae caput cogito, etiam pedes cogitare; eundem me qui istud ab his distinguo, & hos distinguere ab aliis. Non autem experiō, num idem ego compositum an simplex cogitem atque distinguam. Nimum plus tribuunt experiētiaē, qui ex interna illa, qua nos, ut cogitantes cognoscimus, defendere non verentur, alium me esse, quatenus cogito, alium me, qui corpore praeditus sum. Sit ita, me compositum ut tale cogitare statuam, E. idem compositum, quod cogitat caput, cogitat & pedes, &c. Idem ubique indiuiduum seu vnum numericum manet, nisi forte compositum ens indiuiduum s. vnum numericum esse, negare quis voluerit, ita & loquendi vsui, nescio, an & rationi contrarius, (vid. §. 36.)

*Schol.* Quae circa vicia in Psychologia Empirica committi solita in §. monuimus, egregie notat *III. DARIES Psychol. Emp. §. 1. Schol.*

§. 42.

Dein ad confirmandam hanc propositionem sumunt compositum cogitare, & asserunt tunc vnam ipsius partem, partem quandam rei repraesentatae cogitare, alteram partem aliam, adeoque non oriri in eodem composito cogitationem totius rei repraesentatae. Si quid recte iudicamus, non ad Logicas regulas exacta est haec conclusio. Quod ut appareat, notari velimus, quod, si compositum cogitet, duplici id fieri possit ratione. Dum compositum cogitat rem, cuius characteres sunt A. B. C., expressio horum characterum fit, *vel* per vim omnium partium compositi simul sumtarum, *vel* per vim cuiuslibet partis separatim a reliquis sumtae; si posterius duo iterum formanda erunt membra; quaelibet enim pars compositi, ut separata a reliquis *vel* vnum alterumue horum characterum exprimet, non omnes, *vel* quaelibet omnes exprimet characteres simul sumtos, ita tamen ut ex omnium repraesentatione cogitatio demum oriatur. Quod si iam concederemus, vnum horum membrorum refutatam esse, num ideo cuncta reliqua vacillant? Et primum quoque membrum, scilicet quod vis omnium partium compositi simul sumtarum, cogitationem producat, prorsus reiiciendum erit. Possit id concipi duplici ratione, *vel* enim quaelibet compositi pars quoddam cogitationis requisitum produ-

D

ce.

ceret, quibus omnibus vnitis, denique cogitatio integra foret; si v. g. vna pars perciperet, altera compararet, tertia distingueret; tunc enim nulli parti soli cogitationis actus tribui posset; *vel* nulla earum aliquid, quod ad cogitationem requiritur, ageret nisi concurrentibus reliquis compositi partibus, quae simul sumtae demum vim conficerent cogitationi producendae parem. In omnibus his casibus idem indiuiduum cogitaret, eiusdem namque entis, cuius vna pars foret, foret & altera. &c.

## §. 43.

Postremo ita concludunt: cogitatio est actio composita, ex tribus simplicibus, nempe. 1.) perceptione rei A. 2.) perceptione rei B. 3.) perceptione discriminis, quo ambae differunt. Si itaque compositum cogitaret, actiones illas susciperet partium additione, ablatione & transpositione, adeoque mutatione combinationis partium; sed mutatio combinationis partium compositi ipsum compositum mutat; cogitatio itaque, si in composito fieret, per simplices, quas inuoluit actiones, continuata, non idem linqueret compositum s. subiectum. Sed cogitatio, prouocant hic ad experientiam, non mutat subiectum cogitans, quoniam alias ens, quod hodie cogitat, non amplius agnosceret se heri cogitasse, hincque contendunt, cogitationem in composito non posse existere.

## §. 44.

Varia sunt, quae circa hanc argumentandi rationem moneri merentur. Nam

I.) iam §. 23. 24. 25. monuimus, nondum satis euictum esse, quod omnes, quae in composito fiunt, mutationes, partium additione, ablatione & transpositione absoluantur. Non impossibiles sunt plures relationes aliae partium compositi, quarum mutatio in composito mutationem producere potest.

II.) Quando asseritur, mutationem combinationis partium, ipsum compositum mutare, id quidem verum est, si de toto genere mutationis compositi sermo fuerit. At vero, hic non sufficit, quod quocumque modo in composito mutatio oriatur, sed requiritur, vt  
talis

talis illa fit, quae conscientiam status pristini tollit. Quodsi quaeuis mutatio entis hic sufficeret, eadem quoque ratione ostenderetur, me hodie cogitantem alium esse ab eo, qui heri cogitauerat, cum aliae atque aliae interea in me exstiterint mutationes. Neque natura compositi hic opponi poterit. Quanquam enim omnes in composito obuiaae mutationes, compositum mutant, non tamen quaeuis mutatio talis est, per quam *omnis identitas indiuidui* tollitur, nisi & asserere velis, machinam quouis momento ita mutari, vt prorsus non maneat eadem machina, quod nimium arrogans multis omnino videbitur.

III.) Possunt quaedam compositi partes mutatione combinationis suae inuerti, vt non eadem, quae antea fuerant, maneat; an vero id statim de omnibus valebit? non uero licebit, ipsam *totius compositi* mutationem inferre, nisi omnium partium ipsius & omnis combinationis mutationem euiceris.

Apparetiam, quid desideretur adhuc in argumentis, quibus cogitationem in composito obuiam non fieri in eodem indiuiduo, adstrui solet.

*Schol.* Caeterum omnes hae probationes apagogicae sunt, ita procedentes, vt propositio, demonstrandae opposita tanquam vera sumatur, & exinde conclusiones deducantur cognitae de cogitationum indole vel compositi natura propositionibus aduersas, quales probandi modos recensuimus (§. 11. 16. 17.)

§. 45.

Non sine ratione egisse censemus, qui alios hanc propositionem probandi modos elegerunt, perspicientes forte quid iis, quos antea spectabamus, adhuc desit. Videamus itaque & ipsorum argumenta, quorum aliquod ita procedit;

*Q. non est relatio, nec relationis mutatio, id non potest fieri in composito; sed cogitatio neque est relatio, neque relationis mutatio, E.*

Videamus primum de maiori propositione. Nititur ipsa sententia, quod quidquid fit in composito nihil aliud fit, quam mutatio relationis partium ipsius, idque probatur ex essentia compositi, quae cogitari nequit, nisi tanquam complexus relationum plurium entium

um extra se positorum. Iam concludunt, omne quod composito competit, non potest in ipso intelligi, nisi plura assumas; E. composito non nisi *relationes* s. *externae determinationes* competunt. Nondum in hac propositione patet, anne relationes illae compositi, vt talis determinationes intrinsecae haberi possint? Relationes enim illae sunt relationes entium, quae simul sumta compositum constituunt. Quae entia, quoniam composito intrinseca sunt, etiam relationes illorum composito internae erunt. Luditur forte vocibus, quando subtilius dici solet, composito non inesse entia quae istud constituunt, sed compositum potius esse in entibus ipsam constituentibus. *Id namque est in composito, quod ipso posito, ponitur, sine ente extra ipsum existente.* Iam, vel ens compositum vt tale, nudam entium affectionem esse, vel poni in ipso entia, per quae constituitur eorumque relationes, dici oportebit. Sit itaque, omnia, quae in composito fiunt, esse relationes, hae tamen relationes erunt internae compositi determinationes, hinc qua ratione relationes partium compositi ad externas compositi determinationes referantur, satis haud patet. Probari prius debet, 1.) nullam relationem plurium entium, posse entis cuiusdam tertii esse determinationes intrinsecae. 2.) Relationes externas partium compositi esse quoque relationes externas compositi ipsius.

## §. 46.

Vt minorem iam probent, conficere conantur, cogitationes non esse posse relationes, idque sequenti ratione nixi: Si cogitatio foret relatio, dicunt, ipsa non posset existere, nisi alia extra ens cogitans existerent entia, ad quae referretur. Sed experientia teste, cogitamus res, licet nos ad nulla entia extra nos referamus; hinc cogitationes pro relationibus non possunt haberi. Sed quoddam huic ratiocinio inesse arbitramur, quod Logicarum regularum strictam applicationem haud feret. Tota ratiocinatio huc fere redit:

*Si cogitando nos non referimus ad res extra nos, sequitur vt cogitatio non sit relatio. Sed verum est primum. verum igitur & extremum.*

Concludere hic nobis videmur a negatione relationis ad res externas, ad negationem omnis relationis, s. a negatione relationis  
ad

ad rem externam, ad negationem relationis rerum, quae in me ponuntur, inter se. Scilicet concedimus, nos, dum cogitamus, non semper respicere res extra nos; negamus vero, ipsam cogitationem non oriri ex relatione eorum, quae nobis insunt, quippe quod ita nondum satis probatum iudicamus. Iam vero in hac tota probatione terminus relationis in duplici sumitur suppositione, in maiori nempe de relatione, quae est praedicatum rei intrinsecum, in minori vero de tali, quae ex respectu ad rem externam ortum ducit, dicitur.

*Schol.* Ex his simul diiudicari potest, sequens, qua cogitationem non posse entis cogitantis motum intestinum esse, ostendi putatur, probatio. Concluditur nempe, quoniam cogitatio non potest esse relatio, necessario sequi, esse eandem determinationem intrinsecam entis simplicis. Iam cum ens simplex partibus careat, motus vero intestinus sit motus partium toto quiescente, sustinent, cogitationem, utpote determinationem intrinsecam entis simplicis, non esse posse motum intestinum. Quoniam nondum satis probatum est, cogitationem non esse relationem entium simplicium in composito, nondum sequitur, ut cogitatio sit determinatio interna simplicis. Et qui cogitationem per motum intestinum fieri contendunt, non simplicium motum intestinum, sed compositi, intelligunt.

*Schol. 2.* Et haec probatio apagogica est, ad eam classem pertinens, cuius mentionem fecimus. (§. 17)

§. 47.

Est &, qui pro impossibilitate facultatis cogitandi in composito, sequentia adhibet principia: Denegat elementis facultatem cogitandi, & inde negat eandem ipsi composito. Prius autem ex eo cogit, quod ad omnem cogitationem actus imaginationis & memoriae requiruntur, quos in elementa cadere negat, quia haec non sine causa externa occasionali agere, s. statum suum mutare queunt. Videamus, quid his roboris insit. Tota argumentatio in sequentibus vertitur:

*Quidquid per corpora est impossibile, idem & per elementa est impossibile.*

*Sed mutare statum suum sine causa noua occasionali externa, per corpora est impossibile. E.*

D 3

Utra-

Vtraque haec praemissa ita proposita videtur, vt assensum non morari non possit. Et maior quidem, prouti vniuersaliter hic proponitur, neque probata est neque probari poterit. Vel enim ipsa elementa spectantur absolute, sine nexu per quem composita constituunt, vel demum, quatenus cum aliis connexa sunt. Si prius, facile patet, propositionem falsam omnino esse. Potest enim accidere, vt per elementum A, absolute spectatum fieri possit, quod cur non fiat, efficitur ab elemento B cum A connexo. Erit ergo tale impossibile per corpus, non per elementum. Si posterius, maus, tunc vera quidem est, quatenus de eiusmodi mutatione elementorum loqueris, quae ex nexu ipsorum tali, per quem compositum constituitur, oritur, s. cuius ratio praecise in nexu elementorum, qui est essentia compositi, deprehenditur. Si quoque de alia mutatione elementorum locutus fueris, fallit, quoniam non repugnat esse elementorum quandam relationem, per quam fieri potest, quod repugnat illi eorum relationi, per quam composita constituunt.

## §. 48.

Minor propositio I) supponi videtur, tanquam *principium cosmologicum*. Est tale; Ast vndenam probatum? ex experientia, quae nos docet mutationem corporum in hoc mundo existentium. An idem valet de omni corpore in genere? An tantum valet, haec experientia, vt nullam mutationem in corpore fieri posse sine causa occasionali externa, tuto affirmare queas? Quid? si essent mutationes corporum sensibus haud obuia nostris, quales omnes negare velle, summae foret temeritatis. Et an impossibilitas alicuius per experientiam vnquam poterit cognosci? Nimirum est, quod huic propositioni, si tanquam absolute vniuersalis ad alias veritates applicanda, aduersatur.

II.) Tentatur eius demonstratio, vel potius ratio, cur de veritate ipsius dubitari nequeat, redditur sequens: Dum experientia docet, mutationem status corporis produci a causa externa occasionali, vim producendi mutationem status sui sine tali causa corpori tribui prohibet diuina sapientia, quae via semper agit breuissima. Haec autem lex sapientiae diuinae negligetur, si corporis

poris vis producendae mutationi status sui sufficeret, & tamen per causam occasionalem ea produceretur. Si dicendum quod res est, plus iusto sapit, qui ita diuinæ sapientiae leges applicat. Valet regula, sapientiam diuinam agere via breuissima, quando,

- a) via breuissima est & simul perfectissima tam absolute, quam respectiue;
- β) quando via breuissima est possibilis, & iterum tam absolute quam relatiue. Nisi enim hoc prius euiceris, propositionem incongrue applicas. Ast undenam nunc patet, eam viam, qua corpus propria vi mutationem status sui producit, esse *respectiue* perfectissimam & possibilem? Atque inquis eam praesertim ob rationem DEus alteram, qua causae occasionales agunt, elegit praetulitque, quoniam altera, qua vis corporis propria agit, *respectiue* non erat possibilis, indeque quod volumus conficitur, corporis nempe vim propriam non sufficere mutationi status sui producendae. Bona verba quaeso! Non sufficit ea vis propria corporis ad mutationem status sui, quam nos sensu duce percipimus, producendam, ergone nec sufficit ad alias mutationes corporis, quas nos haud sentimus, efficiendas? Quodsi itaque tales possibiles sint, certe DEus vult, vt propria vi corporis illa producantur, sine causis occasionalibus. Nondum itaque demonstratum est, non fieri posse in corpore mutationes, nisi a causis externis occasionalibus productae, nisi prius probaueris,
- 1) vel non possibiles esse alias corporis mutationes, praeter eas, quas nos sensu duce cognoscimus, vel
  - 2) naturae corporis repugnare, vi producendis mutationibus suis pari, praeditam esse.

#### §. 49.

Praestructo syllogismo, (§. 47.) iam vltcrius concluditur:

Q. *Ens non potest agere sine causarum occasionalium externarum concursu, id non potest facultate imaginandi & memoriae gaudere.* A. *elementa, E.*

Minori propositioni in praecedentibus dubia mota, quorum soluti-

lutionem aduersarii acutiores vrgebunt. Sed major quoque huius syllogismi nondum omni exceptione potior est. Probatur ea per experientiam docentem, nos imaginatione & memoria ideas re- producere & recognoscere, adeoque statum nostrum mutare, sine caussarum externarum concursu. Duplex est, quod hic nobis monendum venit:

I.) Experientia haec, si id, cuius gratia allegatur, docet, tantum docet, nos imaginationis & memoriae actus sine caussarum occasionalium externarum concursu producere. An vero exinde concludi poterit, omnes imaginationis memoriaeque actus, in quouis ente sine tali causa non procedere? Hoc, nisi fallor, non ex experientia, quae mutationes in nobis obuias tantum explicat, sed ex ipsis imaginationis memoriaeque notionibus deriuandum erit, vel, quae hoc ex principio pro impossibilitate cogitandi in elementis desumitur ratio, non in vniuersum illam docebit. Omne quod inde conficeretur foret, *nos cogitantes non esse elementa*, minime vero, *nullum cogitans esse elementum*.

II.) Recte dicuntur *causae mutationis occasionales* vires alteri praesentes, quae mutant statum vis alterius. Iam vero, vndenam constat, imaginationem atque memoriam agere sine praesentia vi- rium, quae statum vis ipsarum mutant. Si recte memini, & imagina- tio & memoria sensationes requirunt, quibus existentibus demum ipsae agunt (*vid. WOLFII Psychol. Emp. §. 106.*) sensationes vero non producuntur, nisi neruis motus impressus fuerit a re externa (*EI: Psychol. Ration. §. 129.*) adeoque nisi praesens fuerit vis alia, quae statum vis entis sentientis mutaret. E. non sine causa externa oc- casionali. Hinc experientiae hic tribui videtur, quod non sine te- meritate ex ipsa deriuari potest.

*Schol.* Si influxum physicum animae in corpus, & v. v. assumseris, prorsus cogere statueres, sensationes non fieri in cogitante, nisi praesente aliqua causa occasionali externa. (*Vid. Excell. REV- SCHII Metaph. §. 794.*) Iam quoniam imaginatio & memoria non agunt, nisi sensatione quadam existente, qui systema influxus phy- sici sequuntur, nunquam ex hac ratione impossibilitatem cogitan- di in elementis asserent. Quod ipsum quidem maxime obest vni-  
uerfa.

uersalitati huius probationis, dum non a quolibet Philosophorum quod hic sumitur, concedi solet.

§. 50.

His iam suppositis, porro concluditur, quoniam ad cogitationem actus imaginationis & memoriae requiruntur, non fieri posse per elementa cogitationem; de quo iam vltius nihil monemus. Dein porro ita rationes subducuntur: *Q. per elementa impossibile idem & per compositum impossibile est; sed per elementa cogitatio est impossibilis E. & eadem per compositum erit impossibilis.* In maiori elementa aut separatim, aut in coniunctione spectantur. Si prius, propositionem simplici negatione reiicimus; Si posterius, huic aequipollet: *Quidquid per compositum impossibile est, id per compositum impossibile, & utroque casu minoris probationi adhuc aliquid deest.*

*Schol. 1.* Tota haec probatio ita procedit: In cogitatione est determinatio, (produci sine causa externa occasionali,) quae repugnat composito; E. compositum cogitare, repugnat. Est adeo apagogica, ad alteram §. 17. explicatam speciem pertinens.

*Schol. 2.* Est praeterea in hac probatione, quod non displicere non potest. Animum attendas, velim. Ita *primum* concluditur: *Quidquid per compositum impossibile, idem & per elementa impossibile. A. sine causa occasionali externa agere, est per compositum impossibile, E. & per elementa. Tunc cogitare est agere sine causa occasionali externa, E. illud per elementa impossibile. Denique: Q. per elementa impossibile, idem & per compositum impossibile; Atqui cogitare (sine causa externa occasionali agere, hoc namque erat medium) est per elementa impossibile, E. & per compositum. Anne hoc cum sequentibus coincidit? Q. per compositum impossibile, id & impossibile per elementa; A. agere sine causa externa occasionali, &c. E. Quidquid per elementa impossibile, id & per compositum impossibile, A. agere sine causa externa occasionali, E. quae concludendi ratio vix cuiquam probabitur.*

§. 50.

Non immorabimur sequenti, quam eundem in finem propono-

E

ponere solent, meditationi : Nulla ratione modoque ex compositi natura atque essentia concipi potest, quomodo id ipsum, cogitare possit ; Ast quidquid nulla conceptibili ratione explicari potest, id non quidem affirmare, ast negare licet. Negatur itaque vis cogitandi compositis. Non talia curabit, qui simplicitatem animae negat. Concedit cuncta, sed iisdem nixus principiis disputare pergit. Nulla, itaque asserit, ratione ex simplicis natura concipi potest, quomodo id ipsum, ea, quae ad cogitationem requiruntur, producat, E simplici negetur vis cogitandi. Est ita, fatentibus cunctis fere Philosophorum, quod explicari non possit, quae ratione anima simplex cogitet, adeo namque sibimet ipsi est manetque ignota. Fatetur hoc modeste GASSENDVS *de anima opp. Tom. II. p. 237.* pronuncians : *differendum de anima, non tam quod sit spes, ut eius natura a nobis possit introspecti, quam quod ignorandum non sit, quousque fuerint Philosophi in ea disquirenda progressi.* Et fatentur idem, qui norunt, quam difficile sit explicare, quo modo vnica vis simplicis, producendis tot diuersis, qui ad cogitationem requiruntur, effectibus, par sit.

## §. 52.

Cuncta, quibus & hodie ad animae simplicitatem probandam vtuntur Philosophi, argumenta non discussimus, neque id animo conceperamus. Eminent inter illa, quod a spontaneitate, quam animae tribuimus, desumitur, operoseque tractatur. Si quod est, quod maxime fidem meretur, hoc sane erit, si legitime illud fuerit expositum deductumque. Requiremus hic. vt

- I.) ex ipsa natura corporis ostendatur, spontaneitatem eidem plane repugnare.
- II.) ex actionibus animae, quarum existentiam indubial docet experientia, deducatur, non sine spontaneitate easdem perfici, atque absolui.

Tentaui hoc acute satis, prouti solet, *ill. DARIES Psychol. ration. §. 4.* Sed inquirere in ea, quae & ipse, & alii hic tradere solent, nec temporis iam, nec opellae patiuntur termini.

CI-

CICERO *Tuscul. L. I. edit. Grav. Vol. IV. p. 163.*

*Illud modo videto, animum tibi tuum notum esse oportere,  
etiamsi eius ignores & locum &  
formam.*

COROLLARIA.

- 1.) Anima, quae est simplex, sua natura immortalis dici nequit. Potest enim, ut omne ens simplex finitum, annihilari, quod quominus fiat, potentia Numinis conservatrix efficit.
- 2.) Haud accurate ab immortalitate animae ad eius simplicitatem concluditur. Probatio talis foret indirecta, qua materialitatem animae repugnare veritati eandem esse immortalem, sumeretur; sed deficeret tunc requisitum, quod in disputat. §. 18. proposuimus.
- 3.) Materialistam, vi hypotheseos suae quod anima a parentibus cum corpore generetur, statuere, necesse non est. Potest namque compositum cogitans adstruere, distinctum a corpore quod a parentibus generatur.
- 4.) In systemate Philosophico WOLFIANO, caetera laudatissimo, desideratur, quod propositiones non accurate satis ubique determinentur, & quod praeter determinationes vel necessario adiciendas, vel adiectas quoque aliquando in applicatione extendantur.
- 5.) Systema commercii animi & corporis definire per principium cuius ope explicatur, quomodo fieri possit, ut motus corporis contineant rationem determinatarum mutationum nunc in anima contingentium, utque anima contineat rationem determinantum motuum in corpore nunc existentium, est receptum significatum Philosophorum deferere, & quae inde derivantur argumenta, logicas machinas pariunt.



Dem  
Hochedlen und Hochgelahrten Herrn  
H E R R N  
P E T R O L. E N A N D E R,  
der Hochheiligen Gottesgelahrtheit und Weltweisheit würdigst  
Besitzenen,  
seinem Hertzens Freunde und geehrtesten Herrn Bruder,  
wünschet  
Glück, Heil und Seegen  
in nachstehenden Zeilen.

**B**elobte Freiheit holden Triebe!  
Hier zeigt der Vorwurf zarter Liebe  
Hier zeigt er sich in güldnem Schein,  
Minervens Tempel ist geschmücket  
Wie bin ich doch so hoch beglücket?  
Kan meine Lust vollkommner seyn?  
Ein Norde wirft verklärte Strahlen  
Auf unsern Rosen - Stock zurück,  
Hier soll Apollo Kränze zahlen,  
Und ich wünsch hundert tausend Glük.

I. L. G. de RIST, Eques Hofrath.

## EIDEM,

**D**oris amara DEum cum deserit ipsa Marinum:  
Solvit & in festos ora diserta sonos.  
Cumque simul Graio, tumido, delitigat ore,  
Aequorei placidi Filia cara Senis.  
Tityrus & Corydon laeti cum carmina dicunt:  
Indocilique loquax gutture cantat auis.  
Cum gratam Zephyri praebent messoribus umbram:  
Et redeunt campis arboribusque comae.  
Aoniae Musae festas ducuntque choreas:  
Atque Ioui Patri debita thura ferunt.  
Quid? deceat Gothicam turpi iacuisse sopore  
Musam? nec digitis increpuisse chelyn?  
Non decet. Ecce! venit, magna comitante caterva,  
Pallados atque aedem fronde reuineta petit.  
Fronde reuineta petit. Circumstant sacra ministri:  
Atque sonant raucum tergora tensa boum.  
Occupat interea sedem Coryphaeus Apollo  
Palladium. Doctum & fundit ab ore melos.  
Nec mora. Gotthiades ineunt certamina Nymphæ.  
Tela vibrat pharetris singula quaeque suis.  
Inter utrumque volat dubius victoria pennis:  
Nec renuit pulcrum quaeque subire necem.  
Ast sequitur tandem Martem toga laeta cruentum:  
Otia securae & mollia pacis agunt.  
Vni prae primis virides cessere gerendae  
Vetrices Lauri: praemia iusta sua.  
Versibus alternis cantant pia bella camenae.  
Spargunt & violas, lilia, feta, rosas.

*TE loquor, ENANDER, TE, TE, mea carmina tanguit.  
TE cecinit, nulla quamlibet arte, chelys.*

Rostochii,  
d. 11. Junii, 1749.

IOANN. H. PILTZER,  
Holmia Svecus,  
scribebat.



DOCTISSIMO DOMINO  
**ENANDER,**

PROPEDIEM DISSERTATVRO.

**C***um vigil euoluis Clarorum scripta Sophorum,  
Et firmo scandis Pulpita docta gradu,*

*Varniacis Musis gratus pariterque Boreis,*

*ENANDER, multum concelebrande mihi :*

*Pectore quam laetor, quae gaudia sentio mente !*

*Gaudia, non ullis, significanda, modis.*

*Quae possum, facio. Gratandi munere fungar.*

*Quod breuibus liceat : cum mihi plura neget*

*Parca Thalia, ferant & gramina parca reductae*

*Valles : foenifecis nam mea prata patent.*

gratulatur

LAVR. IO. OXENWALD,  
Gothlandia Svecus,











## EIDEM.

**D**oris amara DEum cum deserit ipsa Marinum:  
Solvit & in festos ora diferta sonos.  
Cumque simul Graio, tumido, delitigat ore,  
Aequorei placidi Filia cara Senis.  
Tityrus & Corydon laeti cum carmina dicunt:  
Indocilique loquax gutture cantat avis.  
Cum gratam Zephyri praebent messoribus umbram:  
Et redeunt campis arboribusque comae.  
Aoniae Musae festas ducuntque choreas:  
Atque Ioui Patri debita thura ferunt.  
Quid? deceat Gothicam turpi iacuisse sopore  
Musam? nec digitis increpuisse chelyn?  
Non decet. Ecce! venit, magna comitante caterva,  
Pallados atque aedem fronde reuincta petit.  
Fronde reuincta petit. Circumstant sacra ministri:  
Atque sonant raucum tergora iensa boum.  
Occupat interea sedem Coryphaeus Apollo  
Palladium. Doctum & fundit ab ore melos.  
Nec mora. Gotthiades ineunt certamina Nymphae,  
Tela vibrat pharetris singula quaeque suis.  
Inter utrumque volat dubiis victoria pennis:  
Nec renuit pulcrum quaeque subire necem.  
Ast sequitur tandem Martem toga laeta cruentum:  
Otia securae & mollia pacis agunt.  
Vni prae primis virides cessere gerendae  
Vivaces Lauri: praemia iusta sua.  
Versibus alternis cantant pia bella camenae.  
Spargunt & violas, lilia, ferra, rosas.

